

mmandi, *nulla existente synodo*, quos oportuit habuerit facultatem». De iisdem sententiis loquitur Pius II, damnans appellationem ad synodum universalem. Atque hunc sensum rei natura postulat; in appellationibus enim, in quibus ab inferioribus ad superius tribunal provocatur, tribunal superius iudicat independentem a iudicio inferiorum, pro ea auctoritate quae propria ipsius est, et qua a ceteris distinguitur, et ceteris eminent. Et sane haec potestas Romani Pontifici asseritur propter ea verba Christi, quae soli Petro immediate et directe dicta sunt. Ceterum cum dicitur appellari posse a quorumlibet Pontificum sententia ad Romanam Sedem, si comprehenditur appellatio quoque a iudicio Synodi universalis, manifesta est independentia sententiae Pontificis recipientis appellationem a sententia Synodi. Si autem ea appellatio non intelligitur, sed sola appellatio a particularibus Episcopis vel Synodis; cum certum sit et sententiam supremi iudicis independentem esse a sententia particularium inferiorum, a quibus appellatur, atque a sententia Romani Pontificis non amplius appellari posse; evidens est sententiam solam Romani Pontificis absque consensu aliorum esse inappellabilem. Atqui si in causis fidei sententia Romani Pontificis est inappellabilis, est ergo irrefragabilis, ergo infallibilis; et quidem irrefragabilis et infallibilis ex sese, quandoquidem ex se ipsa habet citra consensum ceterorum quod sit inappellabilis.

E) Certum est creditum esse antiquitus Romanam Ecclesiam vi principatus sui centrum esse vel principium unitatis fidei totius Ecclesiae; Romanaeque cathedrae doctrinam esse instar paradigmatis veritatis apostolicae ab omnibus credendae: atque ideo necesse esse ut fideles omnes unitatem fidei custodiant cum Romana Sede, eam fidem profitentes quam ipsa praedicat. Testis nobilissimus huius rei est S. Irenaeus contr. haer. L. III, c. 3: « Quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successionem Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeterquam oportet colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio* ». Iam vero in hoc testimonio asseruntur haec ab Irenaeo 1) factum communionis omnium Ecclesiarum cum Ecclesia Romana, com-

munionis speciatim in fide: « In qua semper ab his qui sunt undique fideles conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio »: 2) *iuris* sive necessitas communionis: « necesse est omnem convenire Ecclesiam » (cum interpres latinus dictionem graecam presse sequatur, fuerit textus graecus Irenaei *συμβαίνειν προς ταυτην εκκλησιαν*, quod est, teste Salmasio (in libro de Primatu Papae c. 5.) *convenire cum hac Ecclesia*, in rebus nempe fidei, doctrinaeque) necessitas, inquam, communionis in fide, de hac enim speciatim loquitur: 3) asseritur *ratio huius iuris, seu necessitatis; et quidem ratio necessitatis absoluta* est ratio finalis, pro conservanda nempe unitate fidei, sive ut fideles omnes Apostolicam doctrinam profiteantur; liquet ex toto contextu, et postremis verbis: ratio necessitatis *comparativa*, scilicet cur ad hanc Ecclesiam potius quam ad aliam pro eo fine obtinendo conveniendum sit, quae posita est *in potiore principalitate* Ecclesiae Romanae « propter potiorem principalitatem » (cf. dicta in Th. XIII ad hunc textum): 4) asseritur effectus huius iuris exerciti, et ab universa Ecclesia servati: nempe per Romanam Ecclesiam conservari Apostolicam traditionem ab omnibus: haec est enim vis verborum *in qua*: scilicet fideles qui sunt undique conservant Apostolicam traditionem, sed conservant in Ecclesia Romana, quatenus conveniunt ad Ecclesiam Romanam, h. e. non in ipsis sed in Ecclesia Romana est ratio huius conservationis; et sic oportet omnes ad eam convenire. Hinc 5) non eadem ratione Irenaeus provocat ad Ecclesiam Romanam ac ad alias Ecclesias Apostolicas: non enim de his seorsim ab illa affirmat quod *necesse sit convenire ad eas*; atque huic *uni adserit potiorem principalitatem*, quae est titulus iuridicus illius necessitatis. Porro 6) hac asserta necessitate communionis in fide omnium Ecclesiarum cum Ecclesia Romana, *subordinatio* affirmatur earum Ecclesiarum ad ipsam; dicitur enim necessaria *communio propter potiorem principalitatem*; est ergo Ecclesia Romana principalis, et prima inter principes sive Apostolicas Ecclesias: habet scilicet Ecclesia Romana *principatum*; ceterae Ecclesiae secundo loco sunt eique subiiciuntur. Et sane quaenam necessitas foret ut omnes Ecclesiae ad hanc unam convenirent nisi haec esset centrum et principium efficiens unitatis? huiusmodi vero principio subordinantur ea quae per ipsum ad unitatem revocantur. Affirmatur autem 7) *subordinatio in magisterio fidei*; necesse est enim omnibus convenire ad Ecclesiam Romanam propter eius principatum, ut traditio sive doctrina apostolica ab omnibus conservetur: principatus ergo Ecclesiae Romanae est principatus quoque in fide sive in magisterio fidei, cuius nempe norma proponitur ab Ecclesia Romana, et quam omnes sequi debent, si velint Apostolicam tenere doctrinam. Igitur teste

Irenaeo Romana Ecclesia vi principatus sui principium est efficiens unitatis fidei totius Ecclesiae: Romanaeque cathedrae doctrina est instar paradigmatis veritatis Apostolicae ab omnibus credentibus, fidelesque omnes necesse est ut eam fidem profiteantur quam Romana cathedra docet. Atqui his continetur professio magisterii ex se infallibilis Romani Pontificis.

Et primo professio *magisterii infallibilis*; nam si necesse est Ecclesias omnes, ut Apostolicam conservent traditionem, eam fidem tenere quam Romana Cathedra docet, dicendum est doctrinam huius Sedis esse doctrinam necessariam in Ecclesia: atqui doctrina necessaria in Ecclesia nequit esse nisi infallibiliter vera; ergo. Tum deinde professio *magisterii ex se infallibilis*; etenim hic ordo existit inter Ecclesiam Romanam et omnes undique fideles, ut in Ecclesia Romana conservetur traditio Apostolica, et per eam conservetur ab omnibus qui ad eam conveniunt: ergo Ecclesia Romana per se ipsam custodit depositum Apostolicae traditionis, ceterae per Ecclesiam Romanam; igitur doctrina Ecclesiae Romanae infallibilis est antecedenter ad consensum ceterarum ecclesiarum. Praeterea necesse est convenire in fide cum Ecclesia Romana propter potioris eius principalem: habet scilicet haec Ecclesia principatum magisterii, adeoque infallibilitas doctrinae reperitur quidem in omnibus simul convenientibus, sed in ceteris infallibilitas discentium, in Romana cathedra infallibilitas doctoris: atqui sicut scientia docentis anterior est et independens a scientia derivata discipuli, ita infallibilitas docentis Romanae Sedis antecedens est et independens ab infallibilitate ceterarum Ecclesiarum; ergo.

Irenaeo consonat prorsus Optatus cum L. II. docet *unam esse et singularem cathedram in Ecclesia, quae est cathedra Petri, in qua unitas ab omnibus servanda sit*. Si enim una est cathedra; ergo una est suprema auctoritas docendi, erga quam omnes in censu discipulorum sunt; ergo omnes eam doctrinam profiteri debent, quam ea cathedra docet; et idcirco doctrina huius cathedrae necessaria est in Ecclesia: ergo haec est infallibilis et quidem infallibilitate Cathedrae docentis, ideoque ex sese infallibilis, ut paulo ante argumentati sumus.

Huc autem facit splendidissimum S. Maximi testimonium ex epist. scripta Romae (Oper. Tom. II, pag. 72. seq.) « Omnes orbis terrarum fines et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam romanam ecclesiam eiusque confessionem ac fidem recta linea respiciunt, ex ipsa effulgurans expectantes iubar... Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, omnes ubique Christianorum

Ecclesiae unicum firmam basim ac fundamentum nactae sunt et habent Ecclesiam quae ibi est, velut in quam, iuxta ipsam Salvatoris promissionem, portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in Christum ac confessionis claves habeat, hisque qui pietate accedant eam quae vere sua natura solaque pietas est aperiat, claudat vero atque obstruat omne os haereticorum, iustitiam loquens in excelso. » Si fides Romana est *sol* lucis a qua omnis illuminatur Ecclesia, ea ex se splendescit eaque est norma necessaria et infallibilis veritatis; si claves habet fidei aperitque omnibus veram pietatem, ipsa fons est et origo omnis certitudinis in Ecclesia. Necesse est igitur omnes convenire ad Ecclesiam Romanam ac ad eius magisterium, sicut necesse est omnia corpora circa solem moveri, ab eoque mutuari lucem, ne in tenebris maneant; sicut necesse est omnibus ingredientibus domum aperiri sibi ab habente claves.

F) Certum est concilia oecumenica, quae vim in Ecclesia obtinent, confirmata semper fuisse ab Apostolica Sede, confirmatione sive consequente, quatenus ratum habuit Romanus Pontifex quod Patres decreverant, sive antecedente, quatenus Romanus Pontifex doctrinam tradendam praeformaverit. Et quoad consequentem confirmationem, certum est eam habitam fuisse necessariam pro valore decretorum, eamque fuisse quae vim et robur adderet decretis, quae per se seorsim ab illa vim non haberent obligandi Ecclesiam; fuisse proinde confirmationem libere et sponte positam, non ex aliqua ecclesiastica lege cogente, cum ea Patrum decreta nullum adhuc cogerent. Quod oportet plenius declarare et demonstrare.

Sane postulata semper est oecumenicorum Conciliorum confirmatio per Romanum Pontificem, retentumque semper est decreta eorum non valere nisi accederet consensus Romani Pontificis. Quae in re duplex distinguenda confirmatio, *exterior* nempe et *interior*; ea civilis est et ad tutelam spectat debitam decretorum, haec est authentica ab iis profecta qui auctoritatem docendi habent. Haec porro duplex est, altera simpliciter *authentica*, altera authentica simul et *peremptoria*, qua nempe existente valore irrefragabilem habent decreta Conciliorum, qua deficiente valor ille deest. Porro huiusmodi est confirmatio postulata a Romano Pontifice pro decretis conciliorum; qualis a nullo alio episcopo, synodisve provincialibus exhibenda fuit, quamvis postulatum sit ut Episcopi authenticam suam confirmationem decretis conciliorum adhiberent. Quare ludit Bossuet (Defensionis L. VIII. cc. 2. 3.) cum historice demonstrare contendit ab aliis non secus ac a Romano Pontifice confirmationem petitam fuisse et datam: non enim de hac re quaestio est; esse enim potest confirmatio authentica, quae debita sit eo quod valorem iam habeant

decreta Conciliorum, quibus consensus ab Episcopis quoque pro munere suo exhibendus est: vel quae, si desit, valorem non adimat decretis ceterorum Episcoporum: sed quaestio est de confirmatione necessaria ut decreta valeant conciliorum, quam dicimus peremptoriam. Nec quaestio est an Pontificis sola sententia sine concilii approbatione sufficiat: sed an ea sit necessaria ut decreta Conciliorum in materia Fidei (de hac enim agimus) sint irrefragabilia. Iam vero historice constat 1) octo priora Concilia oecumenica vel illud definitivisse in materia Fidei quod iam Romanus Pontifex praeformaverat et iusserat definiri, vel assensum eius et confirmationem postea requisivisse, vel utrumque simul fuisse. Primum certe locum habuit in Concilio Ephesino, Chalcedonensi, et sexta ac septima Synodo. Alterum in Concilio Nicaeno I; licet enim eius acta desint, habemus tamen testes Patres Concilii Romani sub Felice III. an. 484 iuxta Baronium, aientes: « quam vocem (Tu es Petrus etc.) sequentes trecenti decem et octo sancti Patres apud Nicaeam congregati confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae detulerunt »: tum habuit locum in Concilio Sardicensi, ut ex Synodica eiusdem colligere licet; tum in Concilio I Constantinopolitano, cuius illud solum decretum valorem habuit quod Romana Ecclesia probavit, nempe decretum fidei; alios canones caducos ab initio fuisse, eo quod nunquam cogniti fuerint apostolicae Sedi, testatur Leo epist. CVI; Romanum vero Pontificem approbasse eius decretum Fidei probat hoc ipsum argumentum Leonis, et testatur Photius in lib. de synodis inquiring: « quibus haud multo post ei Damasus Romae Episcopus eadem confirmans suoque assensu comprobans accessit »; tum habuit locum in Concilio quinto, quod consensum et approbationem Vigilii adeo instanter postulavit, tum in octava Synodo. Utrumque vero locum habuit certe in Concilio Chalcedonensi et sexto: illi enim formam praescripsit Leo epistola sua celebri ad Flavianum: huic Gregorius II epistola ad Imperatorem Leonem Isaurum, atque Adrianus I litteris suis lectis in Concilio. Imo et in Concilio I Constantinopolitano habuisse dicenda est praeformatio doctrinae a Pontifice facta: id colligitur ex epistola orientalium ex Synodo Constantinopolitana, quae posterior fuit ea quae dicta est oecumenica (Gallandi Bibl. 88. T. VI. p. 333. epist. VIII inter Damasianas), profitentium fidem quam Damasus praescripserat (ibid. epist. II) orientalibus, et ideo provocantium ad subscriptionem tomi Damasi factam in Oriente. Constat 2) huiusmodi assensum vel confirmationem habitam fuisse ut necessariam pro valore decretorum. Sane Damasus rationem reddens cur Ariminensis synodus auctoritate careat, haec (epist. VI) ait: « neque praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ari-

minum convenerunt; cum constet neque Romanum Episcopum, cuius ante omnes fuit expectanda sententia, neque Vincentium qui tot annis Episcopatum inviolabiliter custodivit... huiusmodi statuti consensum aliquem commodasse ». Gelasius in Tomo de anathematis vinculo aperte affirmat: « Totum ut dictum est in Sedis Apostolicae positum est potestate: ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica hoc robur obtinuit: quod refutavit habere non potuit firmitatem ». Marcianus Imper. indolem et vim confirmationis Romanae luculenter ostendit epist. CX inter epistolas S. Leonis: « Miramur supra modum quod post Chalcedonensem Synodum et literas venerabilium Episcoporum ad tuam Sanctitatem missas, quibus omnia in ipsa S. Synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua clementia eiusmodi epistolae remissae sint, quas videlicet in sanctissimis ecclesiis perlectas in omnium oportebat notitiam pervenire. Quod nonnullorum animis qui Eutychetis etiamnum pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam iniecit, utrum tua beatitudo, quae in Synodo decreta sunt confirmaverit. Et ob hanc rem pietas tua literas mittere dignabitur, per quas omnibus Ecclesiis et populis manifestum fiat in S. Synodo peracta a tua beatitudine rata haberi. » Agebatur de decreto fidei, quod nempe Eutychianos impetebat, desiderabatur autem confirmatio Romana, non qua declararetur Synodum legitime actam fuisse; sed qua significaret Romanus Pontifex se rata habere quae ibi contra Eutychem peracta sunt; qua quidem ratihabitione seu confirmatione deficiente adhuc ambigua erat sententia Concilii haereticis; qui eo se tuebantur, quod deesset nimirum confirmatio Pontificis, licet immerito cum Leo iam definitionem edidisset quam Patres Chalcedonenses secuti sunt. Porro haec est evidenter sententia Marciani, generatim necessarium esse ut omnibus Ecclesiis et populis manifestum sit Romanum Pontificem habere rata decreta Concilii, et ideo ad refellendos haereticos qui negabant haberi hanc confirmationem, exposcit specialim a Leone ut literas mittat ad omnes ecclesias quibus id significet. Persuasum ergo omnibus tum haereticis tum catholicis erat, decreta fidei a conciliis edita non valere nisi ea rata habuerit Romana Sedes. Hinc Ferrandus Diaconus epist. cit. n. 9. de Conciliis universalibus loquens ait: « sufficere indicatur ad plenam confirmationem si perducta in notitiam totius ecclesiae nullum offendiculum moveant vel scandalum fratribus, sed apostolicae fidei convenire firmentur, Apostolicae Sedis roborata consensu ». Et S. Stephanus Iunior (cf. eius vitam penes Migne Sec. IX) respondebat haereticis iconoclastis qui Synodum a se habitam extollebant: « quam rationem vestram Synodum oecumenicam dicitis, quam neque approbavit Romanus Episcopus (quam-

quam canone praescribitur res ecclesiasticas absque Papa Romae constitui non debere), neque Alexandrinus, ut verum dicam, neque Antiochenus, neque Ierosolymitanus? » In Synodo autem oecumenica octava lectae sunt Epistolae Nicolai I tum ad Michaellem Imperatorem tum ad Photium, act. 4^a, in quibus Pontifex testatur « multoties conventus factos fuisse Sanctorum Patrum, a quibus et deliberatum et observatum exstitit, qualiter absque Romanae sedis Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur », ac « Romanae Ecclesiae auctoritate atque sanctione omnes Synodos et sancta concilia roborari, et stabilitatem sumere », quibus lectis acclamatum est Nicolao in fine actionis. Porro eae sententiae ad causas, quae tunc agebatur, naturam intrinsece spectabant. Eiusdem Concilii Patres in 1^a actione subscripserunt formulae fidei ab Adriano Pontifice propositae, in qua testantur « *se nolle separari a Romanae Ecclesiae Fide atque doctrina, et sequentes Patrum ac praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae praesulum in omnibus constituta, anathematizare se omnes haereses* ». Necessitatem ergo consensus Romani Pontificis pro valore decretorum Fidei professa est Synodus VIII. Itaque citra consensum aut confirmationem Romani Pontificis, decreta edita ab universo Concilio irrefragabilia non erant: non erant scilicet ea quibus assensus fidei deberetur. Ex his porro consequitur quod dicebamus obligatoriam scilicet non fuisse sed liberam confirmationem Romani Pontificis.

Quod spectat ad confirmationem antecedentem, cum nempe Romani Pontifices regulam fidei pro controversia dirimenda praestituebant, constat eosdem Romanos Pontifices regulam fidei a se traditam proposuisse Patribus tanquam certam et immutabilem, ab omnibus proinde tenendam, potestate negata Patribus aliter iudicandi idque ne dum Patribus non contradicentibus, sed consentientibus.

Sane in Concilio Ephesino causa fidei agebatur, sententiaque in causa depositionis Nestorii a sententia in causa fidei pendebat. Iam Cyrillus Alexandrinus sciscitatus Caelestinum Romae Episcopum fuerat quid de ea re censeret: « Quoniam vetus Ecclesiarum consuetudo suadet, ut huiusmodi res sanctitati tuae communicentur, scribo plane necessitate adactus illud significans (exponit Nestorii haeresim)... Non prius autem illius communionem palam aperteque deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quod heic sentias praescribere, quo liquido nobis constet communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere ei denunciare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fovet et praedicat. » Caelestinus autem re cognita rescribens ad Cyrillum ita decrevit: « quamobrem nostrae Sedis auctoritate adscita,

nostraque vice et loco cum potestate usus, hanc non absque exquisita severitate sententiam exsequeris: nempe ut nisi decem dierum intervallo ab huius nostrae admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi D. N. generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam et Romana, et tuae sanctitatis Ecclesia, et universa denique religio Christiana praedicant; illico sanctitas tua illi Ecclesiae prospiciat, is vero modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat ». Sententiam hanc tulit Caelestinus absque Synodo oecumenica in sua Synodo Romana: iam enim Caelestinum damnasse haeresim Nestorii ante Ephesinam Synodum testantur Patres Ephesini in relatione ad Imperatores de depositione Nestorii post actionem 1^a aientes: « Caelestinum etiam magnae Romae Episcopum praconiis extollimus, qui ante nostram sententiam haeretica Nestorii dogmata condemnarat, nosque in ferenda contra ipsum sententia anteverterat prospiciens securitati ecclesiarum et piae salutarique fidei ». Quocirca sententiam Caelestini in Nestorium vim ex se habere propter auctoritatem Romani Pontificis, etiam post indictam oecumenicam Synodum, eaque adhuc se obligari arbitrati sunt Patres orientales, qui tandem damnantes Nestorium (Act. 4) fatentur se ad hanc lugubrem contra eum sententiam venire *coactos per sacros canones et epistolam Sanctissimi Patris sui Caelestini*. Unde Firmus Caesareae Cappadociae Episcopus (Act. 2) ait: « Apostolica et Sancta Sedes Caelestini sanctissimi Episcopi per literas, quas ad religiosissimos Episcopos, Cyrillum, inquam, etc. misit, *etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit, quam nos quoque secuti formam illam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque iudicium in illum proferentes* ». Ipse autem Caelestinus in commonitorio tradito suis legatis ad Concilium qui simul cum Cyrillo praesent (epist. 17. Caelestini penes Constant.) ita eis praecipit: « Auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri debere mandamus... *ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis iudicare debeat, non subire certamen* ».

Ad Synodum Chalcedonensem scribit S. Leo epist. XCIII al. 72. « In his fratribus Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris me Synodo vestra fraternitas existimet praesidere, non abiuncta a vobis praesentia mea, qui nunc in vicariis meis adsum, et *iamdudum in fidei catholicae praedicatione non desum*, ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, *non possitis dubitare quid cupiamus* (quid opus erat ut illi nossent quid ipse crederet et cuperet definiri, si eius fides norma non erat sequenda necessario a Patribus?). Unde fratres carissimi, reiecta pe-